UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv

Cepari, Virgilio

Antverpiæ, 1630

Sanctorum opem adhibet ad agendas pro se gratias Deo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-46083

Visual Library

garet, ad 27. Septembris anni 1617. legique non modò in ſchedis manu ſcriptis, ſed & in chartis typo preſſis, à pueritiâ vouiſſe eum virginitatem ſuam Deo, ad honorem Virginis Matris. De quâ Virgine conuenerat inter ipſum, alioſque Nouitios (quod Tyrones illi non obſcurè præ ſe ferebant) vt per omnem occaſionem in ſermone loquerentur; quod præſtabant non minore fide quàm feruore: & Ioannes quidem, in hoc peculiari Virginis cultu magnos indies habebat progreſſus (quod alibi ampliùs dicetur) & ob Virginis amorem ſancti quoque Ioſephi affectum cùm ipſe induit, tum in alijs hortatu ſuo excitauit. Tantis illi pectus circumfluebat lætitijs, cùm vel ſecum reputaret, ſe Deo in Religione ſeruire, vt ſubinde in cubiculo, agendis Deo gratijs vacans, in riſum ſuauiſſimè ſolueretur; quòd verò reddendis pro tanto vocationis beneficio gratijs ſe imparem longè ſentiret, Sanctorum ſuorum tutelarium gratiam interponebat, dolebatq; ſubmiſſiſſimè, tam inſigni ſe Dei muneri non ſatis reſpondere: quin etiam ardore tanto religioſi ſtatus bona apud exteros commendabat, vt eius amplectendi cupiditate nonnullos inflammarit. Humillimè de ſeipſo ſentiebat; interrogatuſque aliquando, num inanis gloriæ lenocinijs ſubinde titillaretur; Ego, inquit,

Deo Virginitatem à puero conſecrat.

Socios ad B. Virginis & S. Ioſephi cultum pertrahit.

Eius internum animi gaudium.

Sanctorum opem adhibet ad agendas pro ſe gratias Deo.

Expers vanæ gloriæ.

quæ